



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Liber De Prudentia Ivstorvm**

**Juan <de Jesús María>**

**Coloniae Agrippinae, MDCXIV**

Cap. VII. Monet Sacerdotes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](#)

## C A P . V I I .

*Monet Sacerdotes.*

**M**VNDAMINI, qui fertis va-  
sa Domini, & pollutum nolite  
tangere; ne forte moriamini. Attendite  
verba mea, charissimi amici Sacer-  
dotes noui, & æterni testamenti mei,  
& induimini suauissimum iustitiae de-  
corem, vt sancte sancta tractetis, &  
nomen meum infinita veneratione di-  
gnum non polluatis. Feci vos confor-  
tes sacerdotij mei, vt essetis mediatore-  
res populorum, quorum pondus por-  
tatis, & auerteretis iram meam, ne dis-  
perderet eos. Et ideo deberetis niue cä-  
diores esse, & corda, manusque pu-  
ras extollere in sancta; ve decor sacri-  
ficij vestri ascenderet ad Altissimum  
Patrem meum, & donaret vobis deli-  
cta populi. Considerate dignitatem  
vestram, quia vngti estis oleo sancto  
meo, & panem vitæ, qui de cælo descé-  
dit, quotidie comeditis. Tanta est pro-  
fecto altitudo dignitatis vestræ, vt  
mōtiū vertices supereritis, & cæli cælo-  
rum vobis inclinentur. Quid ergo di-  
cam vo-

cam vobis, cùm videā vos in cælesti dignitate constitutos , homines esse, & secundum hominem ambulare? Mirabile est, vos corpore , & sanguine meo quotidie pasci, & vitiis ceterorum hominum, qui profanè viuunt, deformati. Quid est hoc? Quomodo non transformamini in me , & innocentia vitæ resplendetis? Exuite iam filij mei veterem hominem, ut singulari pietate, tātum cæteris hominibus præstetis, quātūm illos dignitate præceditis. Adhæreat esca, quam sumitis visceribus vestris : & corpora vestra, quæ Dei tempulum facta sunt, ab omni corruptione præseruate. Luceat lux vestra, sole clarior, coram hominibus , quorum culpas abluitis, ut exemplo vitæ vestræ emolliti, atque conuersi, glorificant per fructus iustitiae, clementissimum Patrem meum , qui in cælis est. Fugite commercia filiorum huius sæculi , qui vitæ puritatem oderunt: & Ecclesiæ sponsæ meæ , disciplinam toto corde sequimini. Hæc sit iugis meditatio vestra , & intima lætitia , qua inter mortalis vitæ fastidia , deletemini

etemini. Discant alij prudentiam, quæ de terra est, qui merguntur in terrenis desideriis, quasi plumbum in aquis vehementibus: Vos verò qui pane vitallissimo nutrimini, cauetene regalose pulas immundis cibis maculetis. Altiores mundo estis: cælestia, cum mundi contemptu, cogitate, atquè diligite & altissimum Iustitiae sacrificium in mei memoriam purissimis affectibus sacrificare. Et non solum placebit mihi holocaustum vestrum, plusquam sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, qui inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, sed supra omnia mundi bona iucundabor in castis, & humilibus cordibus vestris, quæ ardebunt igne charitatis in conspectu meo.

## C A P. VII I.

*Monet Principes terræ.*

**A**VDITE principes terræ, quæ dico: & sepositis curis aliis, vos quoque reges intelligite: & erudimini qui iudicatis terram. Ego vobis dedi Excellentiam hanc, ut tolleretis medullam